



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0654

Sabato 05.11.2011

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DELL'VIII CENTENARIO DELLA NASCITA DI SANT'AGNESE DI BOEMIA (PRAGA, 12 NOVEMBRE 2011)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DELL'VIII CENTENARIO DELLA NASCITA DI SANT'AGNESE DI BOEMIA (PRAGA, 12 NOVEMBRE 2011)

In data 22 ottobre 2011 è stata pubblicata la nomina dell'Em.mo Card. Joachim Meisner, Arcivescovo di Köln, ad Inviato Speciale del Santo Padre alla celebrazione dell'VIII centenario della nascita di Sant'Agnese di Boemia. La celebrazione avrà luogo a Praga per il 12 novembre 2011.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do P. Stanislav Přebyl, CSsR, ex Provinciale dei Redentoristi nella Repubblica Ceca, Vicario Generale di Litoměřice;
- Rev.do Sac. Jan Houkal, Parroco di Brandýs nad Labem-Stará Boleslav.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Joachim Meisner:

• **LETTERA DEL SANTO PADRE** *Venerabili Fratri Nostro*
IOACHIMO S.R.E. Cardinali MEISNER
Archiepiscopo Metropolitae Coloniensi

Praestantiores inter eventus coram Cechae Nationis fidelibus annumerari plane arbitramur liturgicam celebrationem sanctae Agnetis Bohemiae, quam in caelitem catalogum rettulit anno MCMLXXXIX Decessor Noster beatus Ioannes Paulus II. Ex eius quippe ortu iam feliciter appetit octingentesimus annus. Praeclara haec sancta virtutum eximia dedit documenta, tum una cum sancta Clara inter franciscales asseclas, tum, quos sublevandos curavit, apud humilis ordinis homines.

Tantum temporum acerbitatem tristitiamque abiisse arbitramur, cum a religione pietateque aversae vigeant condiciones. Ipsa ibidem Ecclesia tutum felixque ingressa videtur iter, ut, benignissimo iuvante Domino, uberem profectum futurum in aevum assequatur. Congruenter libereque igitur spiritalia incepta suscipiuntur, ut Dei populus aequae colatur afferatque vicissim uberes pietatis fructus. Admodum ideo decet ut eventus hic congruenter commemoretur et iusta ratione extollatur.

Quapropter XII die mensis Novembris huius sanctae natalis Pragensi in urbe agetur, vertente quidem octingentesimo anno, cum ordo Clarissarum conditus est, cuius Agnes sodalis fuit spectabilis.

Quo ritus hic magnificentius efficaciusque evolvatur, Venerabilis Fratris Dominici Duka O.P., Archiepiscopi Metropolitae Pragensis, necnon ceterorum Reipublicae Cechae sacrorum Antistitum postulatis libenter occurrentes, mittere aliquem eminentem Praesulem statuimus, qui partes Nostras sustineat ac Personam gerat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui complura in illius Nationis beneficium patrasti quique prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, **Missum extraordinarium Nostrum** renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur huius festi diei participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam prolixumque animum ostendes. Valde quidem exoptamus ut huius caelitis complures excrescant fautores fautricesque. Sanctae igitur Agnetis invocato patrocinio, universis Nostro nomine Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die XX mensis Octobris, anno MMXI Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP. XVI

[01550-07.01] [Testo originale: Latino]
